



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Modesti Tavbengall Apologeticus Adversus Umbras Oratij Melliti

Hansiz, Marcus

Pragæ, 1723

Caput III. Quid sentiendum de modo scommatico Meliti?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39569**



### CAPUT III.

## Quid sentiendum de modo scom- matico Meliti?

**A**Ntequam in arenam cum his monstris descendam, paucis ex te quæsitum velim Lector, quid tibi de hujus generis idiomate videatur: Quâ mundi plagâ hic fandi usus? hæc ubertas lenocinandi? sic Austriaci loquuntur: hæcne eruditorum lingua? Hicne Mabillonius, quo nec modestiorem, nec doctiorem in suo Regno Religiosum se habere dixit Ludovicus XIV. Rex Christianissimus. Primum hoc excipio, me hanc peregrinitatem nequaquam intelligere, non certè in Monasterio Austriaco, in loco S. Benedicti Patriarchæ longè mellitissimi natam, sotam, aut adultam. Homines enim illic linguæ Sanctorum assueti, modulationibus eruditi, sibi & mundo crucifixi, perturbationibus suis mortui charitatis melle redundantes, cujusmodi & isthic & alibi ex eo Sanctissimo Ordine plurimos mihi amore, & æterna necessitudine conjunctos apprimè novi. Diligo vos (testis est mihi optimus DEUS) ex intimo corde, diligo & revereor vos omni veneratione dignissimi v.ri. Scio, scio hanc vestram non esse linguam, non genus loquendi vestrum, tam longè non ab commercio tantùm religioso, sed à vestra quoque approbatione alienum. Quantum enim nonnulla vos consuetudine cog-

novi, similia, ut parum decora sunt, sic esse vobis grata, haud inducor, ut credam. Ipsi procul dubio, quæ vestra est nota mundo modestia, majorem in Mellito dulcedinem requiretis. Verum hæc utut sint, Tibi Mellite, hanc primum palmam, quemadmodum alias dixi, extortam eo; mansuetudinis atque modestiæ. Tuum tibi terrorem ex eo verborum histrice meæ pace circumda, Jesuitis tecum dimicationem longe aliam susceptam intellige, illam, quam Christus docuit: Si quis te percusserit in unam maxillam, porrige illi & alteram; En victoria! Sic vincitur in bono malo. Ego lauream silentio triumphanti imponam, & pro lingua agresti reponam civilem, diæteria tua mea erunt compendia, & quæ liberalius ingessisti, in meis deputabuntur spoliis. Sed hæc hæcenus: Nunc ad argumenta, quæ quantum etiam tenera sint, ac lubrica atque ad invidiam concitandam unice comparata, sic tamen (quod in antecessum spondeo) tamque fideliter integreque à me tractabuntur, ut quod difficillimum est, etiam tibi, nisi præcordia ad omnem veritatis sensum obarmaveris, sim satisfactorius; quod si non obtinero, ad illud certo consequar, ut potiores tuorum confratrum, quos arbitros causæ hujus fidenter imploro, te deserto, pro me sint laturi sententiam. Tanti est concordiam cum Religiosissimis integerrimisque viris, Ordinis Jesuitici sine dubio præclaris benefactoribus ab incunabulis Societatis cœptam, atque inde, in Austria præcipue, semper inviolatam, quantum eam etiam tui apologi abscindere aut labefactare natæ sint, factam tectamque servari.

